

## 8.

Bibliotheca Vaticana, Vat. Lat. 1158, ff. IIv, Iv!<sup>1</sup>  
Distinctio „seculare dominium” (1.2) = Wien, ÖNB, Cod. lat. 1062, f. 111r in ima  
parte

### [1.] De sancto rege Ladislao

(1) (f. IIv) „**Ecce vir dominabitur populo meo.**” Hec scribuntur in *I Reg. IX*, (17) et ad litteram dicta sunt de Saule rege, de quo dicitur quod „ab humero et sursum eminebat super populum” (*1 Rg 10, 23*), et illud idem legitur de beato Ladislao, qui „super omnem populum ab humero et sursum eminebat.”<sup>2</sup> Unde non immerito verba possunt intelligi et assumi ad laudem beati Ladislai, in quibus breviter tria possunt notari, scilicet

virtutis sanctitas,  
dignitatis potestas,

et dilectionis specialitas. Primo ergo commendatur a virtute, id est „**Ecce vir**”, secundo a dignitate, id est et ipse „**dominabitur**”, tertio a specialitate, id est „**populo meo**”.

(1.1) Dicitur ergo propter virtutem sanctitatis „**Ecce vir.**” In Sacra Scriptura condicio viri multipliciter invenitur, que beato Ladislao convenit, ut patebit.

(1.1.1.1) Reperitur enim vir fidelis, *Proverb. XXVIII*, (20): „Vir fidelis multum laudabitur.” Vir certe fidelis fuit beatus Ladislaus, ita enim legitur de eo in *Legenda sua*: „Christiane – *inquam* – fidei cultor<sup>3</sup> fidem rectam<sup>4</sup> tota mente fideliter amplectendo tenuit.”<sup>5</sup> Unde dicitur in Matthei *evangelio* (25, 21): „Euge serve bone et fidelis,” et in *Apoc.* (2, 10): „Esto fidelis usque” etc. Non immerito ergo laudatur vir tam fidelis et tante fidei, Ladislaus, quia „rectos decet collaudacio” (*Ps 32, 1*). Multum – *inquam* – laudabitur ipse, quia sicut dicit Sapiens: „Virum fidelem quis inveniet” (*Prv 20, 6*), quod dicit rarus est et ideo laudabitur.

(1.1.1.2) Item reperitur vir bonus. Sicut dicitur *Proverb. XIII* (recte 14, 14): „Viis suis replebitur stultus, et super eum vir bonus erit,” et beatus Ladislaus quante fuerit sanctitatis, dicitur enim in *Legenda sua*: „Erat enim copiosus in misericordia,<sup>6</sup> et consolator in misericordia (recte: afflictorum), sublevator oppressorum,<sup>7</sup> pius pater pupillorum,”<sup>8</sup> et quilibet debet esse bonus proximo suo, iuxta illud quod dicit beatus Petrus in (1) *Canonica sua* (2, 12): „Conversationem vestram inter gentes habentes bonam.”

(1.1.1.3) Invenitur enim in sacra scriptura vir sapiens, et hic convenit beato Ladislao, unde dicitur de eo, quod erat „cultor iustitie,”<sup>9</sup> „esurivit et sitivit iusticiam, ut in eternam patriam feliciter perveniret.”<sup>10</sup>

(1.1.2) Sed econtra de malis dicitur in *Deutero. II*, (recte 32, 28): „Gens absque consilio est et sine prudencia” etc. Quod attendens Boecius dicit de prudencia in secundo libro *De*

<sup>1</sup> Vat. Lat. 1158: Petrus de Capua, *Alphabetum de arte sermonandi*, saec. XIII/XIV., originis Gallicae Septentrionalis; sermo ipse ca. a. 1300 insertus. ÖNB Cod. lat. 1062: cf. notam primam sermonis sexti. – (Madas–Horváth 2008, 130–134.)

<sup>2</sup> *Legenda s. Ladislai*, SRH II, 517, 19: „ceterisque hominibus ab umero supra preeminens.”

<sup>3</sup> *Legenda s. Ladislai*, SRH II, 516, 20.

<sup>4</sup> *Legenda s. Ladislai*, SRH II, 517, 3.

<sup>5</sup> *Legenda s. Ladislai*, SRH II, 517, 5–6.

<sup>6</sup> *Legenda s. Ladislai*, SRH II, 517, 9.

<sup>7</sup> *Legenda s. Ladislai*, SRH II, 517, 11–12.

<sup>8</sup> *Legenda s. Ladislai*, SRH II, 517, 12–13.

<sup>9</sup> *Legenda s. Ladislai*, SRH II, 517, 10.

<sup>10</sup> *Legenda s. Ladislai*, SRH II, 516, 24–25.

*consolacione*: „Neque enim quod ante oculos est sufficit intueri, rerum exitus prudenciam metitur.”<sup>11</sup> Ideo Dominus dicit: „Estote prudentes” (*Mt* 10, 16).

(1.2) Sicut ergo propter dignitatem potestatis sequitur: Ipse „**dominabitur**”, et notandum<sup>12</sup> quod **ad seculare dominium** IIII pertinent:

libera potestas, ut sit potens contra rebelles,  
benignus erga omnes,  
iustus circa causas omnium,  
miserens circa egentes et veniam postulantes.

(1.2.1) De potestate eius potest dici illud, *Job* (9, 19): „Si potestas queritur, robustissimus est”, robustus enim fuit beatus Ladislaus propter magnanimitatem in aggrediendo, robustior propter pacienciam in sustinendo, sed robustissimus propter constanciam in perseverando.

(1.2.2) De benignitate ipsius quantum ad omnes dici potest illud, quod dicitur Assuero, *Hester* VIII. (recte 15, 17): „Facies tua plena est graciarum”, scilicet quantum ad affatum, et quantum ad aspectum et quantum ad effectum, unde et „ab omnibus pius rex dicebatur.”<sup>13</sup>

(1.2.3) De iusticia eius potest accipi illud, *Ps.* (44, 8): „Dilexisti iusticiam et odisti iniquitatem et propterea” etc. Dilexisti iusticiam, sicut dicit *Apostolus*, (2) *Thymoth.* III (recte 4, 2): „Argue, obsecra, increpa,” arguens obstinatos, ut timeant, ut timeant penam, increpans iuniores, ut resiliant, obsecrans communiter alios, ut sibi caveant.

(1.2.4) De misericordia, quam habuit, et quam debent habere reges, dicitur *Proverb.* XXI, (recte 20, 28): „Misericordia et veritas custodiunt regem, et roboratur clemencia tronus eius.” Fuit enim misericors gentibus subveniendo, [clemens] offensam potentibus remittendo.

(1.3) Dilectionis specialitas notatur, cum dicitur „**populo meo.**” Populum suum vocat Dominus Ungaros, ratione novitatis, quia noviter erant conversi, ista cuncta res dicitur uno modo nova, quando innotescit, unde quantum de iure sint omnes ipsius, quia „ipse est Dominus Deus noster et nos autem pupulus eius” (*Ps* 94, 7), tamen specialiter dicuntur populus eius christiani.

Notandum autem quod IV-or sunt condiciones, quas habere debet populus Domini,

(1.3.1) ut videlicet sit humilis in prosperitate, *Psalm.* (17, 28): „Populum humilem salvum facies.” Unde Gregorius: „Tanto humilior atque ad serviendum Deo prompctor quisque debet esse ex munere, quanto obligaciorem se conspicit in reddenda ratione.”<sup>14</sup>

(1.3.2) Item ut sit fortis in adversitate. Unde in *Exod.* (1, 9): „Israel populus multus et fortior nobis est.”

(1.3.3) Item gravis in ratione gestus exterioris. Unde *Psalm.* (34, 18): „In populo gravi laudabo te.”

(1.3.4) Item agilis ratione contemptus vanitatis temporalis. *Psalm.* (recte *Ex* 15, 16): „Donec pertranseat populus tuus, Domine, donec pertranseat populus iste, quem possedisti,” redemisti, bis dicat, ut transeat affectum et effectum vanitatum temporalium et quam bene prefuit huic populo beatus Ladislao, et qui bene presunt, duplice honore digni sunt, id est in presenti et in futuro. In presenti ei „Dominus honorem contulit, eum miraculis innumerabilibus exornando, scilicet feras innumerabiles, cum exercitus fame pateretur, misit ad eius preces et meritum.”<sup>15</sup> „Item in morte, quia „currus eius sine aliquo adiutorio detulit funus eius Waradinum.”<sup>16</sup> „Item de quodam leproso, qui curatus fuit in via, dum iret ad tumulum beati Ladislai,”<sup>17</sup> et multa alia fecit, et adhuc tamen non cessat fateri. Item in futuro

<sup>11</sup> Boethius, *De consolatione philosophiae*, lib. 2, prosa 1. – PL 63, 661B.

<sup>12</sup> Haec distinctio (1.2) invenitur etiam in ima parte f. 111r Cod. 1062, Wien, ÖNB (W).

<sup>13</sup> Cf. *Legenda s. Ladislai*, SRH II, 519, 5–6.

<sup>14</sup> Gregorius Magnus, *Homiliae in Evang.*, lib. 1, Homil. 9. – PL 76, 1106.

<sup>15</sup> Cf. *Legenda s. Ladislai*, SRH II, 520, 5–18.

<sup>16</sup> Cf. *Legenda s. Ladislai*, SRH II, 522, 21–523, 23.

<sup>17</sup> Cf. *Legenda s. Ladislai*, SRH, II, 526, 20–21.

eterne glorie coronam conferendo, iuxta illud, *Psalm.* (8, 6): „Gloria et honore coronasti eum, Domine.” Ista gloria illa corona nuncupatur propter preciositatem et interminabilitatem,<sup>18</sup> (f. IIv #) quia corona preciositatem habet in [materia, que compo]sita (?) est in forma, interminabilitatem in figura, et illa gloria est preciosa. Unde, „Que des[iderantur] non valent huic comparari” (*Prv* 3, 15), est eciam delectacio, quia „delectaciones eius in dextera” eius (*Ps* 15, 11). Preterea in[terminabilis] non habendo finem, quia „leticia sempiterna super caput eorum” (*Is* 35, 10). Cuius meritis faciat nos ad illam coronam feliciter pervenire.

---

<sup>18</sup> In margine inferiore: „require cetera supra ad tale signum #.”